

IOHANNES RHODE ABBAS TREVIRENSIS.



**I**Oannes Rhode Treuiris natus & literis institutus est. Postea in gymnasio Heydelbergensi operam literis dedit, ubi in bonis studijs adeo progressus est, ut S. Theologiæ Baccalaureus, & Canonum Licentiatus doctissimus creatus sit. Factus deinde est Metensis Ecclesiæ canonicus, atque S. Symeonis Decanus. Treuerensis quoque præful eū suæ curiæ Officialem ordinavit. Ipse uero cum tantus esset, atque huius mundi uanitatem consideraret, ordinem Carthusiensem extra Treuerim cum ceteris admirantibus ingressus est.